



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola LX. Alexandri Papae III. Ad Omnes Praelatos. Eiusdem argumenti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

Eiusdem argumenti.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus, archiepiscopis & episcopis, & dilectis filiis abbatibus, & aliis ecclesiarum prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint, salutem & apostolicam benedictionem.*

**C**VM orientalis terra per impressiones infidelium & incursus fortium virorum potentia sit & proborum virorum consilio destituta, multo timore percutitur; & ad implorandam subuentionem fidelium dilectos filios nostros, milites Templi, latores præsentium, viros utique religiosos, & Deum timentes, archiepiscopi, episcopi, & alii principes terræ ad partes vestras mittere decreuerunt. Nos autem quos illius terræ calamitas graui dolore conturbat, exemplo patrum & prædecessorum nostrorum de ipsius conseruatione solliciti, Christianos reges, & principes orbis ad defensionem locorum illorum, in quibus steterunt pedes Domini, salubribus monitis exhortamur: & sicut patres & prædecessores nostri Urbanus & Eugenius pontifices Romani statuerunt, ita & nos remissionem & indulgentiam peccatorum statuimus vniuersis, qui pro Christo laborem Hierosolymitanum assumpserint, & contra Saracenos fidei curauerint deuotione certare. Monemus itaque vniuersitatem vestram attentius, & mandamus, quatenus fratres, qui ad hoc missi sunt, benigno recipiatis affectu, & per eos orientalis terræ statu & necessitate comperta, principes, comites, & alios fideles Christi parochianos vestros crebris & sollicitis exhortationibus laboretis inducere, vt terram illam, pro cuius liberatione patres & genitores eorum sanguinem proprium effuderunt, adeant festinanter, & contra inimicos Crucis Christi potentia & virtute decertent. Literas autem, quas propter hoc generaliter mittimus, vniuersis faciatis ecclesiis publice legi, & exponatis earum tenorem, & remissionem peccatorum, quam facimus illis qui tam pium &

necessarium opus assumpserint, nuntietis, & ita omnes ad exequendum quod suggerimus moneatis, quo per sollicitudinem & exhortationem vestram terra illa festinanter fidelium sentiat auxilium & iuuamen; & vos propter hoc ab omnipotenti Deo mercedem possitis consequi sempiternam. Datum Tusculani decimosexto Ianuarii.

## EPISTOLA LXI.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD RICHARDVM CANTVARIENSEM  
ARCHIEPISCOPVM, ET AD SVFFRAGANEOS  
EIVS REDDITA.

De pace inter se & Fridericum imperatorem inita.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus  
Richardo Cantuariensi archiepiscopo & suffraganeis eius,  
& dilectis filiis abbatibus specialiter ad Romanam eccle-  
siam pertinentibus in archiepiscopatu Cantuariensi constitu-  
tis, salutem & apostolicam benedictionem.*

**I**MMENSAS laudes & gratias agimus omnipotenti Deo, qui licet nauem Petri diu permisisset procellosa maris tempestate quassari, nunc tandem imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna, ita vt pacatis maris seuiantis fluctibus, prædicta nauis ad portum quietis reducta sit & salutis. Sane carissimus in Christo filius noster Fridericus illustris Romanorum imperator, proximo præterito die, dominica ante festum beati Iacobi, cum principibus ecclesiasticis & sæcularibus Teutonici regni, cum multa deuotione venit Venetiam ad præsentiam nostram: & ibi coram innumera multitudine virorum ac mulierum altis vocibus resonantium laudes Altissimo, nobis sicut summo pontifici omnem reuerentiam & honorem exhibuit, & in festo beati Iacobi nobis ad preces eius beati Marci ecclesiam adeuntibus pro celebrandis Missarum solenniis, obuiam venit: & finita Missa, quam a nobis licet indignis reuerenter audiuit, nobis omnem honorem exhibuit, quem prædecessores eius nostris consueuerunt antecessoribus exhibere. In Kalendis vero instantis mensis Augusti præfatus imperator vbi erat numerosa